

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
LOGICA PRIMA:

*Quâ pingui Minervâ*  
proponimus & exponimus

**LIBRUM PRIMUM**

**DIALECTICÆ DE INVEN-**

**TIONE: UBI SINGULIS CATEGORIIS**  
adduntur canones; quibus, quomodo ex iis argu-  
mentandum sit, innotescit,

*Quam, divinâ gratiâ gubernante,*

*PRÆSIDENTE ET AGONOTHEA*

**VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO,**  
DN. M. HEINRICO GUTBERLETO HERSFEL-  
diano, in illustri illustrium & generosissimorum Comitum Nassoviorum Athenæo Herbornæo, Professore Philosophiæ ordinario, Præceptore suo multis nominibus colendo, studiosis ventilandam & pensiculandam offert

*Philippus Zepperus, Dillenbergenfis Nassovicus.*

*Qui vacat Logicæ, eamq; non accommodat ad disciplinas, elegantissimam picturam collocat in tenebris.*



*HERBORNÆ NASSOVIORUM.*

Anno Juliano

*ConserVa Me DeVs.*



CLARISSIMO ET EXCELLEN-  
TISSIMO VIRO, DOMINO WILHELMO  
HATZFELDIO, Med. Doct. & celeberrimæ urbis  
Bremensis medico primario, &c. avunculo meo sua-  
vissimo, charissimo.

REVERENDIS ET DOCTISSIMIS  
VIRIS, VERBI DIVINI OECO-  
nomis solertissimis,

DN. JACOBO REIFFENBERGERO } dominis affi-  
Ecclesiæ Heigeranæ Pastori, } nibus meis  
DN. SERVATIO FLORETO, Eccle- } plurimum  
siæ Herbornæ ministro, } honorandis.

Ν Ε C - Ν Ο Ν

CULTISS. ET SPECTATISS. VIRIS,

DN. JOHANNI GEORGIO ZEPPERO, Reverendiss. & Illu-  
strissimo Episcopo Bremensi à secretis, &c. fratri germano:  
DN. PHILIPPO-EMMERICO ITTERO, Illustris & Genero-  
siss. Comitis WOLFGANGI-ERNESTI, Comitis in Ysen-  
burgk & Büdingen, Cellario dignissimo, &c. affini percharo:  
DN. GOTTFRIDO ZEPPERO, in antea laudati Episcopi Bre-  
mensis Camerâ collaboratori, fratri germano:

*Primos hosce ingenii mei fructus, tanquam  
grati animi μνημόσυνον, observantia  
τηχμήσεων, ex amore & more mitto, in-  
scribo & consacro*

Philippus Zepperus, Autor & Resp.





T H E S I S I.

**N**genii fœtus, ne sit effœtus, debet pari à matre *Logicâ*: ut quidam non infimæ classis homo dixit. Itaq; cùm *Logica* omnium facultatum studiosis ad eò sit necessaria, ut aquâ & igni potiùs destitui, quàm hâc ipsâ carere velint, possint, debeant: nostrarum duximus esse partium, particulam aliquam ex illâ delibare, & (fave magne Jehovah!) ad placidam diallexin proponere & exponere.

2 In hoc autem nostro instituto agmen sive familiam ducet definitio, quam cum Ramo constituimus talem: *Dialectica est ars bene disferendi.*

3 *Ejus partes duæ sunt, Inventio & Judicium.*

4 *Inventio est pars prima de inveniendis argumentis.* Jam partem illam, quam *σωθ* *Θεω* declarandam nobis præscidimus, aggredimur, quam vero suo cultu & vultu in medium producimus. Quoniam autem *Logicam* duntaxat ex præceptis velle discere, non adhibetâ ulteriore curâ praxeos, quæ est in *Genesi* & *Analyti*, est musicam audiendo, & picturam aspiciendo, velle discere: operæ precium duximus, singulis hujus nostræ *Inventionis* locis addere canones, ut primâ fronte promisimus, quibus sive præsiidiis sive subsidiis uti possumus.

5 *Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est: quales sunt singularationes sola & per se considerata.* Hic argumenti affectionem exprimimus, quæ tanta est, ut eâ sublatâ argumentum non sit argumentum; mutatâq; eâ argumentum mutetur. Argumenta autem, quæ inter se affecta sunt, habent relationis affectionem: intellige de *Logicis* generibus argumentorum, non verò de exemplis, quæ ad genera illa illustrationis causâ adjiciuntur. Nam argumentorum nomina duobus modis usurpantur: *ἑἰς τῆς ἑαυτῶν, ἢ ἑἰς τῶν ἄλλων*: hoc videlicet modo pro rebus ipsis: illo pro notionibus *Logicis*. Multa enim de notionibus & denominationibus rerum dicuntur, quæ rebus ipsis non conveniunt; & multa rebus conveniunt, quæ de notionibus *Logicis* verè dici nequeunt. Itaq; genera argumentorum sunt relata, exempla non item. Deinde notetur *P. Ra-*



mi perspicacitas. In primo enim libro, ubi nulla attenditur dispositio, consideratur argumentum non ut actu arguens, sed ratione affectionis, quâ ad arguendum est aptum. Quare, ut in libro secundo argumentum propter dispositionem cum themate actu arguit, ita in libro primo arguit potestate.

6 *Argumentum est artificiale, vel inartificiale.*

7 *Artificiale, quod ex sese arguit.* Pendet enim à natura thematis, & ex eâ eruitur.

8 *Est q<sub>3</sub> primum, vel ortum.*

9 *Primum, quod est sua originis.* Hujus enim in arguendo vis non derivatur ex alieno fonte.

10 *Est q<sub>3</sub> simplex, vel comparatum.*

11 *Simplex, quod simpliciter & absolutè consideratur, videlicet non habito respectu alicujus tertii, quod præter thema, & argumentum requiratur.*

12 *Est q<sub>3</sub> consentaneum, vel dissentaneum.*

13 *Consentaneum, quod consentit cum re quam arguit.*

14 *Est q<sub>3</sub> consentaneum absolutè, vel modo quodam.*

15 *Absolutè, ut causa & effectum.* Dicitur consentire *ἐπὶ τῷ* & absolutè, propter dependentiam unius ab altero, nempe effecti à causâ. Adjectum enim non ita dependet à subjecto, quemadmodum effectum à causâ. Hic enim est constitutio essentia; illic non est.

16 *Causa est, cujus vi res est.*

17 *Est q<sub>3</sub> externa, vel interna.*

18 *Externa, quæ agit in aliud extra se.*

19 *Est q<sub>3</sub> Finis, vel Efficiens.*

20 *Finis est causa externa, cujus gratiâ res est.* Sciendum est nos hic distinguere inter finem quatenus est causa, & quatenus ipse est usus rei effectum sequens. Hic usus non nisi cogitatus causa est, actualis verò adjectum rei est. Finis intentionis reverâ causa est, quæ respectu efficientis impellendi vim habet, & in actu causandi efficientem præcedit; finis verò executionis causa non est. Finis divisio est, quòd sit summus, *ἀρχιτεκτονικός*; de quo regula: Summa causa efficiens & summus finis sunt idem: vel subordinatus, *ὑποάλληλος*, qui rursus propinquus (aliàs specialis dicitur) vel remotus, (aliàs generalis.) Ille dicitur, quem causa efficiens intendit primariò: hic, quem secundariò.

21 *Efficiens, à quâ res est.* Hanc subdividunt, quòd sit 1. *per emanationem,*



*nem, vel transmutationem.* Per emanationem, est à quâ effectus immanens, non verò transiens est; seu: cujus actio ibi manet, unde manat. Scholast. dicunt, quæ operatur ad intra. Per transmutationem, est cujus effectus in alio recipitur. Scholast. dicunt, quæ operatur ad extra. 2. *Procreans vel conservans:* quarum illa facit rem esse, hæc rem porrò facit esse, & bene esse. Hisce quidam addunt *corrumpentem*, quæ rem, quæ jam est, & bene est, facit non esse, Græcè dicitur *φθαρτικὴ*. Huic adhuc additur causa *Annihilans*, quæ barbaris dicitur, hoc est, rem prorsus destruens & tollens: unde Annihilatio omnimoda rei destructio est. 3. *Sola efficit, aut cum aliis:* & harum *sæpe* (non semper: aliquando enim paris sunt dignitatis) alia principalis, quæ plus cæteris agit, diciturq; καὶ ἑξοχλῶ ἀίτιον, item κινεσθητικὴ; vel minus principalis, cujus vis minor est, diciturque συναίτιον, seu ξυαίτιον & σὺεργον, quam vis sic in genere causa sociæ dici potest. Huc pertinet *præparans*, item *causa sine quâ non*, item *Instrumentum*: quod est ἰ. ἐνυπόστατον, quod est conjunctum cum efficiente. Sic oculus est instrumentum animalis, quo animal videt; vel ἀνυπόστατον, quòd est se junctum ab efficiente, ut securis. 2. Arbitrarium, quo principalis utitur pro lubitu; vel necessarium, quo carere haut potest. Illud dicitur necessarium κατὰ τὴν ἀπλῶς. 3. Activum, quod in causando virtutem adhibet & cooperatur, ut bos in arando; vel passivum, quod se non commovet; ut mensa, scamnum, incus, &c. Est etiam instrumentum vel animatum (ἐμφυχον) vel inanimatum (ἀψυχον). Animatum aliàs dividitur in vegetativum, sensitivum & rationale. 4. Corporeum, vel incorporeum: illud quidnam sit, facilè intelligitur: hoc verò est, quod scientiis & liberalibus artibus intelligendis subservit, ut Dialectica & præcepta scientiarum. Debet autem instrumentum agere dispositivè, nimirum ad virtutem principalis efficientis, aliàs non esset instrumentum, nisi dirigeretur à causa principali. Ab hac enim accipit actionis suæ determinationem. Est etiam nobilissima distinctio efficientis causæ, in *per se & per accidens*, quæ nunc nobis est declaranda. Causa efficiens per se est, quæ vi propriâ, non adventitiâ agit: ut quæ naturâ vel consilio faciunt. *Naturâ* faciunt omnes res, quæ admoto subjecto non possunt non agere, ut sunt 1. *Inanimata*, v. g. corpora cælestia, ignis, aqua, metalla, lapides. 2. *Vegetabilia*, v. g. herbæ, frutices, arbores. 3. *Bruta animalia*. His enim actio voluntaria nequaquam competit. Voluntas enim non est, ubi non est ratio. Quum itaq; non sit in bestia ra-



tio, utiq; etiam in ea non esse libertatem in agendo, sive voluntatem, in aprico & propatulo est. 4. *Intellectus*, qui non potest non intueri ea, quæ offeruntur. Nemo enim est qui intelligendi actum in aliud tempus differre queat. Agit itaq; hæc causa necessariò, intellige necessitatem, non coactionis, sed *Immutabilitatis*, sive *Natura*. Itaque nec variare nec differre actionem potest: sicut causa consilio agens utrumq; potest. Huc referenda est doctrina de *Generatione* Physicâ, Metaphysicâ & Hyperphysicâ. Et sicut ad hanc causam referuntur opera Dei, quæ dicunt, *ad intra*: ita ad causam consilio agentem referuntur opera Dei *ad extra*. *Consilio* agitur, quando principium actionis est certa *αἰτία*, quam præcedit *αἰσθησις*. *Ignoti* enim nulla *cupido*. Differt autem causa naturâ agens à causa, quæ agit consilio, quòd hæc operatur libertate. 1. *Contradictionis*. 2. *Contrarietatis*: illa verò fit sine libertate contradictionis & contrarietatis. *Per accidens* efficit causa, quæ externâ facultate efficit. Estq; coacta vel fortuita. *Coacta* est, quæ sine assensu necessitate coactionis & violentiæ agit. *Fortuita* est, quando præter efficientis scopum aliquid accidit. Ad hunc locum observandæ veniunt regulæ. 1. Causa naturalis agit ad extremum suæ potentiæ. 2. Ad unum oppositorum est determinata tantum, ut ignis ad usionem. 3. *Voluntaria* ad utrumq; oppositorum se habet indifferenter. 4. *Omni* effectus causæ per accidens, potest reduci ad causam per se: eamq; *primam*, Deum; vel *secundam*, eamq; *naturalem*, nimirum hominum temperamentum, vel materiæ fluxibilitatem; vel *supernaturalem*, nimirum spiritus bonos vel malos.

22 *Causa hæcenus fuit externa; sequitur interna, quæ est materia, vel forma.*  
23 *Materia est causa interna, ex qua res est. Dividitur in 1. primam vel secundam. Prima dicitur, quæ supra se non habet aliam. Secunda est, quæ supra se habet primam. Consideratur dupliciter: Naturaliter vel Artificialiter. Naturaliter si consideratur, forma educitur è materiâ. Artificialiter, forma introducitur in materiam. 2. Immanentem (dicitur invariata) quæ in composito nomen retinet; & transeuntem (quæ aliàs variata) quæ in materiato nomen amittit. 3. Sensilem, quæ est corporum quorumlibet; & Intelligibilem, quæ creaturarum spiritualium substantiarum est.*

24 *Forma est causa interna, per quam res est id, quod est. Dicitur principium Individuationis, item ἐντελέχεια; cujus rationem vide sis apud*

Dounam.



Donnam. pag. 153. Et sicut Materia rei largitur, ut sit aliquid: ita forma ei dat, ut sit hoc aliquid. Dicitur etiam *ουσιαστικὴ καὶ διαφερατικὴ*, constitutiva speciei & divisiva generis, quo nomine officium ejus duplex & proprietas insignitur. Dividitur in 1. Genericam, quam res habet à suo genere, sive, quæ competit multis speciebus, & hæc est communis; & specificam, per quam res in certâ specie constituitur, & ab aliis essentialiter distinguitur; sive quæ uni certo competit individuo. Dicitur *principium indivisivum*. 2. Substantialem, quæ substantiæ essentiam formaliter constituit; & accidentalem, quæ accidentis essentiam formaliter constituit.

25 Sic percurramus obiter instrumentum primum Inventionis, quod vocatur: quoniam autem à philosopho *explicatio & applicatio* explanationis conjunctim requiruntur; quosdam canones colligemus, quibus collectis pari passu ad instrumentum secundum progrediemur.

Canones de Fine. 1. Non omne ultimum est finis, quia non omne ultimum appetitur: aliâs finis sæpe haberet rationem mali. 2. Finis semper habet rationem boni. 3. Fines faciunt discrimina actionum. 4. Quicquid non habet efficientem causam, non habet finem; & contrâ: quia efficiens non nisi fine mota agit. 5. Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est.

Canones de Efficiente. 1. Positâ procreante, res effici potest: & contrâ. 2. Positâ conservante, res salva esse potest, & contrâ. 3. Una & eadem res potest esse procreans & conservans causa ejusdem rei. 4. Positis causis naturalibus integris & non impeditis, si sit admota materia, in quam agant, sequitur effectus necessitate physicâ. Hinc igitur constat, quòd Iris potuerit esse ante diluvium: quia causæ ejus naturales ante diluvium esse potuerunt. 5. Causam proximam impossibile est esse sine effecto, & contrâ.

Canones de Materiâ. 1. Materiæ puritas & dignitas rei ipsius puritatem & dignitatem demonstrat. Præstantis enim materiæ præstans est effectus. 2. Si rei alicui tribuitur Materia, omnes materiæ proprietates rei eidem conveniunt. Intellige Materiam *transmutationis*.

Canones de Formâ. 1. Positâ formâ substantiali, res ipsa ponitur, & sublatâ, tollitur ipsa essentia. 2. Forma & finis sæpè pro diversâ consideratione in idem incurrunt. 3. Uni rei una tantum forma specifica est. Hic notentur versiculi, quos circumferunt de causis: *Ex, De, Ma-*



teriam notat, A vel Ab Efficientem: Per dat Formatum, sed Propter dat tibi Finem.

26 Huc usq; de causâ: sequitur Effectum: quod est argumentum absolutè consentaneum, quod vi causarum existit. Non sunt quatuor genera effectorum, sicut sunt quatuor genera causarum: quia non sunt tot distincta effecta seorsim existentia. In uno tamen effecto τὸ λόγῳ differunt singularum causarum effecta. De hoc argumento circumferuntur canones: 1. Effectus causæ virtutem excedere nescit. Quicquid enim in effecto est, est in causa vel eminenter, vel formaliter; sive subjectivè, vel effectivè. Perfectius enim producit imperfectius, sed non contrà. Ut enim res sese habet ἐν τῷ ἔῃ: ita etiam ἐν τῷ ἐνεργεῖν. Quicquid excellit in effecto, non potest non excellere in causa. 2. Ab effecto ad causam valet consequentia. Posito enim effecto, necessum est, causam esse vel fuisse. Effectum causas arguit, & arguitur vicissim: licet non pari ratione. Nam causa τὸ δῖον, effectum τὸ ὄν indicat. Causæ sunt γνωσιμώτεραι: effectum ut posterius est: ita & levius. Nobis tamen effecta sunt causis notiora, easq; ut notiora arguunt.

27 Atq; hætenus explicavimus breviter argumenta absolutè consentanea: explicanda restant modo quodam consentanea: ut Subjectum, & Adjunctum.

28 Subjectum est cui aliquid adjungitur. Plerunq; est nomen Substantivum: sicut Adjunctum plerunq; est nomen Adjectivum. Usus illius potest distingui modis. Primus modus subjecti est in sitorum adjunctorum δεκτικόν sive receptivum. Sic anima recipit scientiam. Secundus modus est subjecti, cui adjuncta adhærent, quo etiam locus pertinet, externa rei ποσειστικῆ. Tertius modus est subjecti in quo adjunctum occupatur & exercetur, & aliàs dicitur objectum. Sic sensilia sensuum & artium sua sunt objecta.

Canones de Subjecto sunt: 1. A subjecto proprio ad adjunctum proprium valet consequentia. 2. Sublato subjecto, tanquam fundamento, tollitur adjunctum, ut: Si substantia panis in S. *ἁρξαιστῆ* mutatur in carnem Christi, necessum est mutari ejus accidentia.

29 Adjunctum est, cui aliquid subjicitur. Hic nota vim arguendi in subjecto, quæ tanta non est, quanta subjecti. Subjectum enim est quasi δῖον adjuncti sui. Modi ejus sunt. Primus est in hærentium & in sitorum: quò refertur Quantitas, Qualitas, Passio, è prædicamentis. Secundus est rerū locatarum, ad quem Situs quodammodo refertur. Tertius adjacen-



adjacentium & circumstantium. Huc refertur Quando sive tempus. Quartus est occupatorum, cujusmodi est medicus in ægroto. Adjunctum est 1. Internum vel externum. Internum, quod subjecto intrinsicè inhæret. Externum, quod extrinsecus ei adhæret. Estq; circumstantans vel occupatum. Circumstantans, est quod subjectum circumdat. 2. Proprium, vel commune: illud soli subjecto convenit, & dicitur aliàs proprium in quarto modo, ad differentiam trium modorum aliorum, qui vulgo numerantur: hoc pluribus adjungitur.

Canones. 1. Proprium adjunctum valet in utramq; partem. 2. Sublatis proprietatibus, seu adjunctis subjecto essentialibus, ipsum perit subjectum. 3. Ab adjunctis divisim ad conjuncta, non valet consequentia, si natura non patitur illa conjungi.

30 Sic de consentaneis nec fusè nec confusè egimus: pari itaq; passu progrediamur ad *DisSENTanea, que dissentiant à re, quam arguunt.* Hæc illis posteriora sunt, quia negatio est posterior affirmatione: Semper enim affirmatio est mensura negationis: Illa ad  $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\upsilon\delta\iota\omega$ , id est, confirmationem & instructionem, ut quando orator quæstionem suam affirmativè probat: hæc ad  $\delta\iota\alpha\sigma\upsilon\delta\iota\omega$  & refutationem faciunt. In dissentaneis unum non est notius altero, sed est notitiæ æqualitas: ideoq; habent æqualem disensionem, ac proinde etiam *eadem nomina.* At verò si species inter se conferantur dissentaneorum, magna sese inæqualitas offert. Nam in aliis disensio levior, in aliis fortior est; in aliis positiva, in aliis negativa est: ideoq; dividuntur, quòd alia  $\kappa\tau\iota\ \pi$ , atq; adeò leviùs, ut Diverfa; alia  $\delta\iota\ \pi\lambda\omega\varsigma$ , atq; ita fortiùs, ut Opposita, dissentiant.

31 *Diverfa sunt dissentanea, que solâ ratione sive definitione dissentiant.* Hic nota, quædam Abstracta dici Opposita, quorum concreta sunt diverfa. Usus Diverforum est tantum axiomaticus. Arguunt igitur tantum *distinguendo & explicando*, non confutando & concludendo.

32 *Opposita sunt que dissentiant ratione & re.* Cur ratione & re? Annon sufficit dixisse, re dissentire? Resp. à P. Ramo hæc duo rectè conjunguntur. Nam ad veram oppositionem non semper sufficit opposita dissentire re, hoc est, inter se suâ naturâ, sed etiam requiritur, ut dissentiant ratione, ita nimirum, ut conferantur ad certum aliquod subjectum. Calor & frigus non solum inter se dissentiant ut contrariæ qualitates, sed etiam ratione certi subjecti, in quo, si unum inest, alterum inesse non potest. Quamvis autem opposita non possunt tribui eidem, se-



cundum idem, ad idem, & eodem tempore, tamen oppositis potest tribui idem.

33 *Opposita sunt Disparata, vel Contraria.*

34 *Disparata sunt, quorum unum multis opponitur pariter.* Dicuntur disparata, quasi dissepata, quia non possunt misceri, nec eadem res esse. *Can. I.* Si disparatorum unum fuerit, aliud quidvis esse non potest. Hinc *Arist.* Unitas est proprietas entis. 2. Disparatum de disparato non potest prædicari proprie.

35 *Contraria sunt opposita, quorum unum uni tantum opponitur.*

36 *Suntque, Affirmantia, vel Negantia.*

37 *Affirmantia, quorum utrumque, affirmat, ut relata & aduersa.*

38 *Relata sunt, quorum alterum alteri ita opponitur, ut tamen inter ea sit & maneat mutua affectio.* Atque hinc notandum, relata tunc verè esse contraria, quatenus de uno subjecto simul enunciari non possunt, ut: David non est simul pater & filius Salomonis. Si verò diversa fuerint subiecta, tunc consentanea esse possunt, ut: Si David fuit pater Salomonis, sequitur, Salomonem fuisse filium Davidis. Suntque; 1. unius vocis, vel duarum. Unius, ut quæ sunt in pari dignitate, ut frater, hospes. Duarum, ut emere, vendere. 2. Secundum dici vel secundum esse. Relata secundum dici sunt vocabula absoluta, quæ per se possunt intelligi: sed si ad Dialectica argumenta accommodantur, vel si ex instituto additur respectus, fiunt relata. Relata secundum esse sunt, quæ suâ naturâ sunt verè relata. Tantus autem est consensus relatorum, ut alterum sine altero definiri nequeat.

Canones. I. Cuilibet relato respondet correlativum affirmatè. II. Posito uno relatorum, necessum est poni alterum, sed in alio subiecto: & destructo uno, destruitur alterum. III. Relata sunt simul naturâ, quia sese mutuò constituunt.

39 *Aduersa sunt contraria affirmantia, quæ nullo modo consensionem admittunt.* Sunt, qui quædam aduersa faciunt ἑμμεσα, sed ratione mediorum reverâ disparata sunt.

40 *Hactenus contraria affirmantia: pergamus ad negantia: quorum alterum ait, alterum negat idem: Nos definimus, quorum utrumque negat: sicut contraria affirmantia definivimus, quorum utrumque affirmat. Nam in puris negantibus nullus planè est rationis usus.*

41 *Suntque, contradicentia, vel privantia.*



42 *Contradictoria, quorum alterum negat ubiq.* N.B. In voce contradictorium nullam esse synecdochen. Nam ἀντίφασις notat affirmationis & negationis oppositionem. Canon. Unâ parte contradictionis receptâ & affirmatâ, alteram necessum est rejici: quia duo contraria non sunt simul vera. Tanta hîc est pugna. Nam nihil enti magis hostile est, quàm non ens.

43 *Privantia sunt, quorum alterum negat non nisi in subjecto ad habitum apto.* Hîc duo sunt considerata: *Habitus & privatio.* *Habitus* est triplex. 1. *Naturalis*, ut ridere. 2. *acquisitus*, ut bene pingere, vel bene scribere. 3. *Divinitus infusus*, ut fides in Christum, spes vitæ æternæ, &c. *Privatio* verò est totalis, vel partialis. *Totalis*, quæ habitum cum subjecto aufert, ut non possit dari regressus ad habitum. *Partialis*, quæ habitu ablato non destruit subjectum, & hîc datur regressus à privatione ad habitum. *Differunt negatio & privatio*: illa omnia, subjectum & accidentia tollit, & dicitur *nihil negativum*: hæc notat absentiam rei in subjecto ad rem nato. dicitur *nihil privativum*.

Canones de Privantibus: 1. *Privatio præsupponit habitum.* 2. *Si privantium est unum, non est alterum, & contrâ.*

44 *Atq; hætenus percurrimus argumenta simplicia: comparata sunt quæ inter se comparantur: sive, inter quæ instituitur collatio.* In his sunt tria: duo extrema, & illorum fulcrum sive basis, quod vocant *Tertium*, quo sublato, perit comparatio, & fit simplex rerum consideratio.

45 *Comparatio est in Quantitate, vel in Qualitate.*

46 *Quantitas est, quâ res comparata dicuntur Quantæ.*

47 *Estq; parium, vel imparium.*

48 *Paria sunt, quorum est eadem Quantitas.*

De his hos circumferunt canones. 1. *Quæ in aliquo tertio conveniunt, inter se conveniunt*: quamvis hic canon etiam similibus competit. 2. *Si parium unum erit, erit & alterum, & contrâ.* 3. *A pari ad par valet consequentia.* Vulgò sic efferunt: *Quæ paribus ambulant passibus, paribus gaudent privilegiis.* Tractantur autem tribus modis. 1. *Cùm unum tribuitur duobus.* 2. *Cùm duo uni tribuuntur.* 3. *Cùm duo duobus attribuuntur.*

49 *Imparia sunt, quorum quantitas non est una.*

50 *Impar est majus, aut minus.*

51 *Majus, cujus quantitas excedit.*



52 *Minus, cuius quantitas excedit.* Pro variâ quantitatis consideratione licet ex hoc argumento (sicut etiam ex *majori*) ἀνακιδδ' ἐν 2 κατὰ σκεδὸν ἐν. Tradunt quidam, à minoribus ad majora duci argumenta affirmativè tantùm, à majoribus vicissim ad minora negativè tantùm; quod posterius non est κατὰ πάντος verum. Quum enim de passione sermo est, etiam affirmativè argumentum procedit, ut: Christus afflictus est ab impio mundo. Ergo ejus discipuli quoq; affligentur. Nisi quis hîc malit se qui eum argumentandi modum, quem tradunt Peripatetici.

53 *Comparatio in Qualitate est, quâ res comparata Quales dicuntur: nempe Similes vel Dissimiles.* Qualitatis enim proprium est esse simile vel dissimile. Nulla enim res est, quâ comparata ad aliam ei similis vel dissimilis non sit, unde dicuntur ἀπ' ὧν τῶν διαφορῶν τὸ ὄν. 10.

54 *Similia sunt, quorum eadem est qualitas.* Ex his conficiuntur syllogismi, quos proportionales vocant: ubi loco proportionis ponitur tota propositio explicatè, id est, tota similitudo: in assumptione protasis similitudinis in specie: in conclusione ponitur ἐπὶ δ' οὐσίς seu accommodatio, quæ redditio Latinè dicitur, itidem in specie. Ejus canones sunt: 1. De similibus idem est iudicium. 2. Omnis metaphora est ad unum verbum contracta similitudo. 3. Omne simile habet dissimile, nec currit quatuor pedibus.

55 *Dissimilia sunt, quorum qualitas est diversa.* Differunt à diversis 1. formâ. In diversis est simplex consideratio, hîc vero est comparata, 2. usu. Diversa enim non sunt ἐπὶ δ' εἰκτικὰ: hæc verò sunt. Canones sunt: 1. De dissimilibus dissimilia concluduntur. Dissimilium enim subjectorum dissimilia sunt prædicata.

56 *Hactenus diximus de primis argumentis: sequitur jam, ut dicamus de ortis, quæ perinde sunt ad id quod arguunt, sicut prima unde oriuntur.*

57 *Orta solent dispefcere Logici in Nominalia & Realia: Nominalia, in quibus ipsum nomen facit argumentum, ut Conjugata & Notatio dicuntur aliàs orta simplicia, respectu originis.*

58 *Conjugata Logica sunt, quando concretum ab abstracto, ut adjectivum à substantivo derivatur: sicut Grammatica sunt, cùm ab adjectivo substantivum deducitur. Conditiones sunt: 1. Ut ejusdem sint significationis. Nam in conjugato inveniendò inveniendum est nomen, non quod idem sonet, sed quod idem significet: siquidem similes voces non semper denotant*



*tant similes res.* 2. Ut eadem significationis ratione adhibeantur. Nam si ex potentia actus, vel contra arguatur, captio erit. 3. Ut symbola sint consentaneorum argumentorum. Hoc enim nisi sint, non orta erunt, nedum conjugata. Canones sunt: 1. à conjugato uno ad alterum valet consequentia. 2. Quoties in disserendo conjugata occurrunt, est affectio consentanea. 3. Negato conjugatorum uno, negatur alterum.

59 *Notatio est nominis, e sua origine interpretatio.* Ejus canones sunt: 1. Non omnium vocum vera notatio dari potest, quia paucissima ex rerum natura defumta sunt. 2. Argumentum à notatione saepe est fallax in nominibus propriis. 3. Notatio non debet esse ridicula. 4. Allusivæ notationes à veris notationibus sunt discernendæ. 5. Cui notatio seu interpretatio convenit, ei nomen seu interpretatum convenit.

60 *Hactenus fuerunt orta Nominalia, sequuntur Realia, ubi arguendi vis in re sola consistit, unde affectio Logica exiit clarior: ut Distributio & Definitio.* Dicuntur orta composita, respectu scilicet originis.

61 *Distributio est, cum totum in partes distribuitur. Totum est, quod continet partes. Estq; vel integrum, vel genus: Integrum est in constitutione passiva: quia à membris constituitur: Genus in constitutione activa, quia speciem quoad communem naturam constituit. Pars est que continetur à toto. Estq; duplex, essentialis vel integralis, si Peripatericos sequimur. Essentialis, quæ facit ad esse integri. Itaque, si tollas eam de integro, illud perit. Integralis est, quæ facit ad bene esse. Si hanc tollas, non perit integrum, sed fit imperfectum. Distributio est duplex: Integri in membra, vel generis in species. Illa dicitur, quando membra non possunt dici de integro in casu recto: hæc quando species dicuntur de genere in casu recto. Genus est totum partibus essentialibus. Estq; generalissimum, vel subalternum. Generalissimum, quod supra se non habet aliud genus. Subalternum, quod species hujus, illius autem genus est. Deinde genus est univocum, vel equivocum. Univocum, quod non minus huic, quam illi competit speciei. Equivocum, quod uni speciei magis competit, ut ens magis Deo, quam homini competit, magis substantiæ, quam accidenti. Species est pars generis. Estq; specialissima, vel subalterna: illa dicitur, quæ est individua in alias species: hæc coincidit cum genere subalterno. Canones. 1. Genus & species sunt ejusdem prædicamenti. 2. Perfectissima est distributio, quæ fit per *διχοτομίας*.*

62 *Definitio est cum explicatur, quid sit res. Explicat igitur non adjunctum rei aut aliquod accidens, sed ipsam ΟΥΣΙΑΝ; τὸ τὸ, non verò τὸ*



πρῶτον. Debet autem definitio esse brevis, propria, aperta. Brevis, hoc est, ut nec plus nec minus dicat, quàm oportet. Nam, Non sunt longa quibus nihil est quod demere possis. *Definitio est perfecta, vel imperfecta.* Perfecta, quæ constat genere & formâ. Ejus canones sunt: 1. Unius rei una tantùm est definitio perfecta, quia unica tantùm specifica essentia. 2. Definitiones ex merè negantibus sunt vitiosæ. 3. Definitio sit simplex categorema. Constet enim saltem vocibus duabus, quarum una conceptum convenientiæ, altera differentiæ notet. Vid. Keckerman. in syst. Log. pag. (in meo quidem exemplari) 234. & 235. 4. Notitia intuitiva, quatenus cum iudicio intellectivo fit, est definitionis loco. 5. In solis relatis locum habet circularis definitio. 6. Æquivoca non nisi distincta definiri possunt. 7. Cui competit definitio, eidem & definitum competit, & contrâ. *Imperfecta definitio descriptio dicitur*, quæ ex aliis etiam argumentis rem definit. In hac major est licentiâ, quàm in definitione, propriè sic dictâ, quâ efficitur, ut etiam si unius rei una tantùm sit definitio perfecta, descriptiones tamen plures esse possint. Describendi modus est brevior strictiorq; qui definitionum similis est, & usum habet in artibus tradendis, & eruditorum hominum disputationibus; vel prolixior, magnificentiorq; qui in vulgi & imperitorum hominum sensus meliùs & faciliùs incurrit. In omni definitione, sicut perfectâ, ita & imperfectâ major est perspicuitatis habenda ratio, quàm brevitatibus. Hæc enim memoriam juvat, illa intellectum, cujus gratiâ in primis definitiones inventæ. Ad descriptionem refer descriptiones *personarum*, quæ *πρὸς πρόσωπα*; *locorum* tum verorum, quæ *τοπὸς*; tum fictorum, quæ *τοπὸς ἐστὶν*; *regionum*, quæ *χωρὸς*; *temporis*, quæ *χρονὸς* dicuntur. Descriptio est *principalis*, quæ cum genere ponit proprium vel effectum, vel adjunctum, vel *minus principalis*, quæ constat terminis merè contingentibus & externis, qui essentielles non sunt.

63 *Exposito argumento artificiali, exponendum superest inartificiale, quod assumptâ argumenti alicujus artificialis vi arguit.* Dicitur testimonium, ratione habitâ ad rem testatam: & sic est *entium* & *non entium*, ideoq; *Logicum*: non verò respectu testantis: sic enim esset effectum. Estq; 1. *Authenticum*, ut in Theologia sacra Scriptura, in Jurisprudencia Corpus Juris Pontificii & Civilis: vel *nonauthenticum*, ut reliqua scripta. De hoc dicitur regula: A testimonio non debemus argumentari negativè. 2. *Divinum*, vel *humanum*: illud infallibile, hoc fallibile est. Sunt qui addunt *diaboli*.



8  
diabolicum, sed quum illud nullum sit, jure rejicimus. Licet enim Diabolus non semper mentitur, *semper* tamen est *fallax*. Divinum, est vel immediatè, vel mediatè divinum: illud ipse Deus profert; hoc per ministros profert. Humanum, est dictum vel factum. Dictum, est vel *superiorum*, & *Le:* dicitur; vel *magnatum*, & dicitur *apophthegma*: vel *sapientum*, & dicitur *gnoma*: vel *vulgi*, & dicitur *proverbium*.

Canones. 1. Testimonium mediatè divinum est indubitatum, quia huic creditur propter Deum, qui est *à. J. d. d. s.* 2. Divinum testimonium hodie non agnoscimus, nisi divinis literis comprehensum. 3. In rebus ad salutem pertinentibus testimonium ex sacris literis deductum, tam negatè, quàm affirmatè procedit. 4. Verbum Dei malè intellectum non est verbum Dei, & sic ex illo tanquam ex verbo Dei argumentari nequimus. Sive: testimonium divinum esse desinit, si sensu alieno accipiatur. 5. Quod ex divino testimonio extruitur per bonam consequentiam, parem obtinet dignitatem & arguendi vim.

*Patientia cuiusvis dolori narthecium.*

AD D N. RESPONDENTEM,  
PIUM, DOCTUM ET MODESTUM  
adolefcentem,

HENRICUS GUTBERLETH PRÆSES.

**S**ic, Ceppere, patrem redivivum siste, Philippe,

Nobis ereptum siste, Philippe, patrem.

Invitis nobis raptus fuit ille, querendo.

Qui nunc post mortem queritur usq; suam.

Incolumis virtus livoris spicula sentit,

Sed recipit laudem post sua fata suam.

Livide quid mordes, quos virtus vivere mavult?

In gnato nobis redditur, ecce, pater.


Redde, Philippe, tuum post tristia funera patrem,

Absq; morâ patrem redde, Philippe, tuum.

Avlg. ed. ius die v 11. Novembr.

Anno 1610. è Musco.





JOHAN. HENRICI ALSTEDI

ETIGRAMMA

De naturâ & studio Logices,

AD PRÆCLARÆ INDOLIS JUVENEM,


DN. PHILIPPUM ZEPPERUM, magni illius

WILHELMI filium *γνήσιον*, ami-  
cum optimum.

**N**on Logici Logicam genuerunt, sed genuerunt  
(Philosophi ut scribunt) Philosophi Logicam.  
Nec Logici Logicâ utuntur, sed eâdem utuntur  
(Philosophi ut scribunt) Philosophi Logicâ.  
Nec Logici Logicam discunt, Logicam neq; discunt  
Philosophi, hancce docent Philosophi & Logici.  
Philosophus genuit Logicam; Logice sôphiamq;  
Gignit, dum monstrat Philosophis Methodum.  
Nam Logicâ utuntur Consulti Juris, eâdem  
Theiologi utuntur, Philosophi & Medici.  
Iccircò Logicam rem miram dixeris, in quâ  
Sanè sunt pueri, quotquot in orbe viri.  
Nam Logice nihil est, est omnia. Quàm paradoxa  
Scribo! Mira cano, sed quoq; vera cano.  
Ergo ritè studes, magni, ZEPPERE, parentis  
Fili, dum Logicis invigilare studes.  
I pede sic fausto, Logicam caput atq; per artem  
Effer; sic sôphia culmen adire potes.  
Nam Logicam discunt. sôphiam qui discere tentant,  
Per Logicam Logicus nascitur atq; Sôphus.


F I N I S.





the scale towards document

jure rejicimus. Licet enim Di-  
 abnen est fallax. Divinum, est vel  
 ipse Deus profert; hoc per mini-  
 factum. Dictum, est vel supe-  
 dicitur apophthegma: vel sapien-  
 proverbium.  
 atè divinum est indubitatum,  
 est *ad dñs*. 2. Divinum testi-  
 divinis literis comprehensum.  
 estimonium ex sacris literis de-  
 procedit. 4. Verbum Dei malè  
 ex illo tanquam ex verbo Dei  
 um divinum esse desinit, si sen-  
 o testimonio extruitur per bo-  
 gnitatem & arguendi vim.  
*in narthecium.*



NDENTEM,  
 T MODESTUM  
 em,

LETH PRÆSES.  
 vum siste, Philippe,  
 lippe, patrem.  
 erendo.  
 quaritur usq, suam.  
 a sentit,  
 ūa fata suam.  
 us vivere mavult?  
 ecce, pater.  
 ristia funera patrem,  
 e, Philippe, tuum.  
 Av<sup>o</sup> *q* *edius* die vii. Novembr.  
 Anno 1610. è Muséo.